



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Augustini Barbosa ... Collectanea doctorum tam  
veterum, quam recentiorum, in ius pontificium universum**

In Qvo Tertivs Et Qvartvs Decretalivm Libri continentur

**Barbosa, Agostinho**

**Lugduni, 1669**

De Institutionibus. Tit VII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95279](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95279)



in totum. Notatur ad hoc, quod coadiutor est praelatus, & ut talis habet curam animarum, ut per Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 5. §. 9. n. 2.

## SUMMARIUM.

1. Episcopo, qui propter morbum incurabilem pastorale officium exercere non potest, dandus est coadiutor.
2. Coadiutor dandus est Episcopo, qui ex morbo non potest satisfacere oneri iniuncto.
3. Beneficium Ecclesiasticum debet esse perpetuum.
4. Clericus nullus propter morbum, qui laborat, non est privandus beneficio, sed solum ei dandus est coadiutor.

## CAP. Ex parte. V.

## Innoc. III.

Episcopus qui ob incurabilem morbum non potest exercere officium pastorale, non est cogendus renuntiare, sed ei Coadiutor prudens, & honestus dandus est, ut consilium Episcopo, & populo. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabarel. Bellam. Ioan. Andr. Imol. Anan. Buttr. Host. Anch. Panorm. Guid. Papae. Viu. in ration. lib. 3. iuris Pontific. pag. 115. Alagona in compendio iuris Canon. pag. 404. remissive Ximen. in concord. p. 1. & 2. refertur ab Anton. Aug. collect. 3. Decret. lib. 3. tit. 7. cap. unico.

Probat hic text. dandum esse coadiutorem Episcopo, qui ex morbo non potest satisfacere oneri iniuncto, ut per Flamin. de resign. benef. lib. 5. q. 6. n. 15. Camill. Borrel. in sua. omnium decis. tit. 9. n. 6. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 3. c. 2. vers. porro, & quast. 8. resoluunt quod religiosus Episcopus potest dari coadiutor Episcopo.

illi coadiutorem associet. Notatur ad hoc, quod ut sit aliquod beneficium Ecclesiasticum, necesse est quod non conferatur ad certum tempus, sed perpetuo, & ad vitam eius, cui confertur, ut per Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 5. n. 11. Cassad. decis. 4. n. 2. & decis. 1. n. 9. de prebend. Casl. de Grass. decis. 1. 3. n. 7. eod. tit. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 3. c. 1. q. 3. vers. quare quando, Rot. in Auriacen. iuris nominandi 30. January 1617. coram bona mem. Buratto, inter eius impressas decis. 224. n. 4.

Notatur etiam ad hoc, quod nullus Clericus propter morbum, quo laborat, privandus est beneficio, sed solum ei dandus est coadiutor, ita etiam ex Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 7. vers. quod si darent. colligit post multos Nicol. Garc. de benef. p. 4. c. 5. n. 5.

## SUMMARIUM.

1. Paralytico debet dari coadiutor.
2. Paralytici non possunt promoveri, nec promoti ministrare, sed illis dandus est coadiutor.
3. Coadiutores Rectorum parochialium auctoritate Apostolica institui tenentur ad personalem residentiam, ut Rectores ipsi.

## CAP. Consultationibus. VI. &amp; vlt.

## Honorius III.

Archidiacono, qui amisit usum lingue ob paralytum, dandus est coadiutor. Colligunt ex Ordin. Barbof. Collect. Tom. II.

Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabarel. Bellam. Ioan. Andr. Imol. Anan. Buttr. Host. Henric. Anchar. Panorm. Guid. Papae. Viu. in ration. libri 3. iuris Pontific. pag. 115. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 403. remissive Ximen. in concord. p. 1.

Probat hic text. paralyticos non posse promoveri, nec promotos ministrare, sed illis dandum esse coadiutorem, ut per Henric. in summa, lib. 14. de irregul. c. 8. n. 8. lit. T. Valer. Reginald. in praxi fori panit. lib. 30. n. 58. Maiol. de irregul. lib. 2. c. 24. post n. 1. Campan. in diversorio iuris Canon. rub. 11. c. 17. n. 154. Flamin. de resign. benef. lib. 5. q. 6. n. 20. vbi n. 23. idem resoluunt in apostolicis, & n. 25. in habentibus morbum comitalem, & n. 28. in habentibus manus tremulas.

Coadiutor est merito habendus. Qui quemadmodum principalis tenetur ad residentiam, nam coadiutores Rectorum parochialium auctoritate Apostolica institutos teneri ad personalem residentiam, ut Rectores ipsos, in Sacra Congreg. decusum referunt Galet. in margarita casuum conscientiae, verbo residentia 1. Aloyf. Ricc. in praxi rerum fori Eccles. decis. 564. in 1. edit. alias resol. 494. n. 4. in 2. edit. & iterum decis. 502. in 1. edit. alias resol. 393. ampl. 5. in 2. edit. Campanil. in diversorio iuris Canon. rub. 7. c. 6. n. 104. Monet. de optione canon. c. 4. q. 8. n. 157. Armend. in addit. ad recap. legum Navarrae, lib. 2. tit. 23. de resident. n. 171. quos refero ego ipse de offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 53. n. 78.



## De Institutionibus.

## TIT. VII.



PER hanc rubr. scripserunt Zabarel. Bellam. Ioan. Andr. Imol. Anan. Anchar. Buttr. Panormit. Guillelm. Durand. in breviario aureo iuris Canon. fol. 9. Guid. Papae. Ioan. de Londris in breviario sanctorum Canon. fol. 173. verso, Pet. de Rauenna in compendio iuris Canon. Martin. Mesnart. in epitome Decret. fol. 103. verso, Dan. Venator in analysi methodica iuris Pontific. pag. 384. Goffred. & Host. in summa huius tit. Alexand. Cassan. & Anastas. Germon. in paratulis ad quinque libros Decret. Lancel. de instit. Canon. Barth. Carthag. in expositione titularum iuris Canon. 2. typae. in analytica postremi iuris Ecclesiastici enarrat. pag. 178. Cafarel. in erorem. iuris Canon. Camil. in summa eiusdem iuris, nonissimè Ioan. Honor. lib. 3. summa in Decretal. omnes sub hoc tit.

Institutio quae dicatur, & instituere, verbum quid significet, vide Menoch. conf. 191. n. 2. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 6. c. 22. à primo. & per me dicta de offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 72. n. 172. cum seqq.

## SUMMARIUM.

1. Numerus Clericorum debet institui in Ecclesiis Collegiatis secundum facultatem ipsarum.
2. Ecclesiis, seu monasteriis admitti non debent plures, quam commode ex redditibus nutrirì possint.
3. Differentia ostenditur inter commode vivere, & absque penuria.



## CAP. Non ampliùs. I.

## Ex Concil. Arelaten.

**I**N monasteriis non sunt plures recipiendi quàm commodè ali possint de bonis Ecclesiæ. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabarell. Bellam. Ioan. Andr. Butr. Imol. Anan. Anchar. Host. Henric. Panorm. Guid. Papæ, Vinian. in ration. lib. 3. iuris Pontif. pag. 118. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 406. remissive Ximen. in concord. p. 1. desumitur ex Synodo Arelaten. I V. sub Carolo Magno Imper. c. 8. refertur ab Ant. Aug. collect. 2. Decret. lib. 1. tit. 6. c. 2.

Hanc eandem conclusionem ex hoc text. desumit Valer. Regin. in praxi fori panit. lib. 30. tract. 3. n. 297. in fine. Et nouè Concil. Trid. sess. 25. de Regular. c. 3. hac de re agens ita disponit. In predictis autem monasteriis, & domibus tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituitur, ac imposterum conseruetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis elemosynis commodè possit sustentari. Hactenus Concil. de cuius materia multa cumulaui ego ipse de offic. & potest. Episcop. p. 3. alleg. 98. & me non citato, plura ex illo loco mutatus est Aloyf. Ricc. in decis. Curie Archiep. Neapol. p. 4. decis. 219. Vide Decretum Pauli V. incip. Sanctissimus, sub dat. 4. Decembris 1605. de certo Religiosorum numero cuiusque monasterio, Conuentui, ac domni Regulari præfigendo, quod referunt Quarant. in summa Bullarum, verbo monasteria, & Conuentus, pag. mibi 432. Castellin. in addit. ad tr. de elect. pag. 502. Vide aliud decretum S. Congreg. Illustriss. DD. Cardinalium negotiis Episcoporum & Regularium præpositorum sub die 17. Augusti 1621. ubi approbante Gregor. X. statuitur quòd de cætero non erigatur nouus Religiosorum Conuentus, nisi in eo saltem duodecim Fratres, Monachi, seu Religiosi commodè sustentari possint, refert Castellin. de elect. c. 15. in fine. Nonissimè Sacra Congreg. Concilij sub die 21. Junij 1625. decreuit, vt deinceps monasterium, Conuentus, vel Societas Religiosorum, seu Regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita in singulis eiusdem locis duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex redditibus, & consuetis elemosynis competenter sustentari valeant ad præscriptum decreti Gregorij X V. hac de re editi. Alioquin monasteria, & loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt supra, sustentari, atque inhabitare non potuerunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij, loci visitationi, correctioni, atque omnimoda iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

**3** *Abque penuria.* Aduertit maximam dari differentiam inter commodè viuere, & viuere absque penuria, nam penuria dicitur inopia earum maxime rerum, quæ in penu recondi solent, & penoris nomine continentur, quæ vsui, & potui sunt accommodata, l. 3. in princ. de penu leg. Commodè tamen viuere intelligitur apte, vtiliter, & secundum qualitatem status, ita Rebuff. in tract. congrue portionis, q. 8. n. 77. Lara in l. si quis à liberis, §. sed si filius n. 82. ff. de liberis agnosc. & n. 83. contendit text. in presenti, & in cap. cum M. de constit. qui videntur inter se pugnare, non loqui in eadem facti specie, sed in dissimili, quia text. hic agit de Monachis, d. cap. cum M. de Canonicis; Monachus enim honeste vitam ducit; si sine penuria viuat, cum voto paupertatis sit adstrictus, Canonici tamen, cum huiusmodi votum non emittant, latius alendi sunt,

additque n. 84. hunc text. agere de Ecclesia non numerata, & d. cap. cum M. de Ecclesia numerata. His addo gloss. verbo absque penuria, in c. 1. de statu Regni. lib. 6. tres constituentem terminos ad inuicem contrarios, eorumque primus est viuere commodè; secundus omnino contrarius est, viuere cum penuria tertius, & illorum medius est, viuere simpliciter, puta sine penuria, ac citra commoditatem, vt propterea non egeat, nec abundanter viuat, sed necessariis dumtaxat potitur alimentis, quam quidem gloss. sequitur Campan. in diuersorio iuris Canon. rubr. §. c. 2. in fine.

## S V M M A R I V M.

- 1 Laici in Canonicos non possunt institui.
- 2 Laici incapaces sunt beneficiorum.
- 3 Capacitas in beneficijs attenditur tempore presentationis.

## CAP. In Ecclesia. II. Eugen.

**L**AICI non possunt in Canonicos institui, sed numerus explendus est ex ipsis Clericis intra debitum tempus. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabarell. Bellam. Ioan. Andr. Imol. Anan. Butr. Host. Henric. Panorm. Guid. Papæ, Vinian. in ration. lib. 3. iuris Pontif. pag. 118. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 406. remissive Ximen. in concord. p. 1. & 2. refertur ab Ant. Aug. collect. 2. Decret. lib. 3. tit. 6. c. 3.

Text. iste communiter allegari solet ad hoc, quòd laici incapaces sunt beneficiorum, ex quo ita deducunt Selu. de benef. p. 3. q. 6. Cenal. commun. contra communes, q. 523. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 6. c. 2. q. 5. Perez de Lara de amminerf. & capellan. lib. 2. c. 5. a num. 2. Nicol. Garc. de benef. p. 1. c. 1. a n. 9. Valer. Reginald. in praxi fori panit. lib. 30. tract. 3. n. 147. Sancti. de matrim. lib. 7. diff. 42. n. 14. ubi etiam cum aliis resoluìt, quòd ad beneficium obtinendum non sufficit quæpiam habitum Clericalem gestantem, animam habere statim obtento beneficio assumendi Ordinem clericalem, sed hic Ordo debet necessariò præcedere, quod etiam contra gloss. ult. in presenti, tenet Gonzal. ad reg. 8. Canon. gloss. 2. n. 66. Amplia quamvis ille, cui confertur beneficium, incederet in habitu, & tonsura, & communiter reputaretur Clericus, adhuc enim, si constet de veritate, collatio beneficii non tenet, vt per Flamin. de resign. benef. lib. 4. q. 2. n. 59. Gonzal. d. gloss. 2. a num. 64. Nicol. Garc. d. c. 1. n. 11. & 12. quos refero ego ipse de offic. & potest. Episcop. p. 3. allegat. 72. num. 73.

Illud autem quòd in beneficijs attenditur capacitas tempore presentationis, quod firmat cum Rota Mar. Anton. var. resol. 14. & resol. 19. n. 1. intelligendum est de presentatione, proprie dicta, quæ tunc cum presentatus coram Ordinario personaliter sistitur ab eo institutionem accepturus, vt respondit Rota in vna Burgen Abbatis 19. Nouembris 1588. coram D. Penia, hinc pariter tenens nominationem factam per patronos laicos etiam de non Clerico ad beneficium, esse validam, refert Aloyf. Ricc. in praxi rerum fori Ecclesiast. resol. 140. num. 3. & ego ipse d. alleg. 72. num. 76.

Repetita illa vulgari concl. ex hoc text. desumpta quod laicus non possit habere beneficium Ecclesiasticum, cui similis text. in cap. cum adeo 18. de præscrip. & in cap. ex literis, de transact. quam ex antiquioribus probat Abb. in cap. Ioannes, n. 7. de Clericis coniug. Dec. in cap. decernimus, num. 30. de iudic. Syluest. verbo



verbo beneficium 3. n. 8. Gom. de expect. num. 89. Gig. de pensio. 86. num. 7. & q. 22. num. 16. Steph. de literis gratia. §. noua forma. n. 24. Rebuff. in praxi. tit. de cleric. n. 4. & tit. de differentia inter rescripta gratia. n. 38. Lamb. de inepatron. 1. lib. 2. q. 6. art. 2. n. 15. Matfil. de reddit. p. 2. c. 18. n. 17. Conar. lib. 4. variat. c. 16. num. 4. Gutier. consil. 2. n. 21. Fulc. de visit. c. 21. num. 13. Obstat tamen quod B. Nicolaus fuit promotus ad Episcopatum antequam Clericus diceretur, quinimo S. Ambrosius Archiepiscopus factus est antequam Baptismi Sacramentum suscipere, testatur Gratian. in cap. statum. 61. dist. & constat Episcopatum seu Archiepiscopatum esse quidem beneficia Ecclesiastica, aduertit Selu. de benef. p. 1. q. 2. n. 19. Rebuff. in praxi. tit. de probata beneficij omnium in perpetuam, n. 44. Obstat rursus, quod laicus Summus Pontifex esse potest, iuxta gloss. receptum in cap. si quis pecunia. 79. dist. aduertit Abb. in cap. num. 7. de Regular. facit text. in c. licet de euitanda 7. ubi gloss. verbo absque ulla exceptione, de elect. iuncto text. in cap. si Papa, versic. nisi 40. dist. & quae tradunt Castro de iusta hereticorum puni. lib. 2. c. 23. Simanc. de Catholicis. c. 45. n. 36. Et constat Pontificalem dignitatem beneficium esse Ecclesiasticum, iuxta text. in c. de maledicis, aduertit Selu. ubi supr. n. 14.

Pro quorum dubiorum solutione aduertendum est circa beneficia Ecclesiastica duo esse considerata, vel enim considerari potest acceptio beneficij, & collatio ipsa tempore quo fit; vel rursus consideratur eiusdem beneficij Ecclesiastici praesentio ex postfacto; inter quae illud est discrimen, quod licet in utroque casu laici prohibeantur, diuerso tamen modo, in vno atque in alio prohibitio facta reperitur; patet si expendas quod retentio beneficij a laicis non tantum iure humano, verum etiam diuino prohibetur, etenim cum retentio beneficij ob illius administrationem supponat diuini officij ministerium, puta administrationem Sacramentorum in curatis, & in aliis, alia & isthaec ministeria non tantum iure humano, verum & diuino laici facere prohibetur, iuxta ea, quae S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. Sot. lib. 9. de iust. q. 7. art. 1. Conar. lib. 1. variat. c. 17. n. 5. recte fit retentionem beneficij non tantum iure humano, verum etiam diuino laicis interdici, quicquid contradicat Gig. de pens. q. 21. n. 4. Non sic dicas de beneficij acceptatione, quae quidem cum adhuc praedictum ministerium necessarium non supponat, non diuino iure, sed solum humano prohibita censetur. Patet si expendas attentio isto iure non aliter esse faciendam collationem, nisi persona sit idonea, quae beneficium deferre possit, quod quidem laicus tempore collationis facere nequit: sic alias data dispensatione de stylo curiae quando laico mandatur beneficium conferri, apponitur clausula cupienti adscribi militia clericali, vt testatur Gom. de expectat. n. 90.

Quo supposito colligitur text. in presenti, quatenus tempore collationis Ordines Ecclesiasticos requirit, iuris humani constitutionem continere, licet enim sit contra legem diuinam laicum beneficium in titulum retinere ob ipsius ministerium, vt supra dictum est, non tamen Dei praecipis aduersatur ad beneficium laicum inuenire pietate, & eruditione insignem intra breue tempus ordinandum: sic alias qui sacros Ordines non habet, curato beneficio iure diuino deferre non potest, iuxta resoluta in cap. omnis vtriusque sexus de penitent. qui tamen constat ad curatum beneficium admitti intra breue tempus ordinandus, argum. text. in cap. licet canon. de elect. lib. 6. licet enim in illo tempore beneficium retineat, propter tamen destinationem, quam habet ad sacros Ordines, vt in sacris ordinatus retinere dicitur, sic Barbof. Collect. Tom. II.

similiter licet laicus intra illud breue tempus possideat, non tamen vt laicus dicitur retinere propter illam destinationem data dispensatione ad obtinendum, alias nihil consideratur super quo caderet dispensatio, vnde supradicta clausula in dispensatione adici solet. Ex quibus iam intellectus ad d. cap. statum. vt procedat data dispensatione, constat ex illis verbis, potest rata haberi. Patet si expendas admissionem laici, de qua ibi, iuris quidem humani prohibitionem solummodo continere, iuxta supradicta, & probat eleganter idem text. in d. c. statum. ibi, Ecclesia prohibitiones. Vnde merito relaxata illa prohibitionem ob virorum sanctimoniam admissio facta fuit, non sic dicendum erat, si voluissent praedicta beneficia retinere absque Ordinis promotione, iuxta supra resoluta. Sic etiam Pontifex laicus tempore electionis esse potest, puta quia exceptio iuris humani, qualis est ista, illo tempore ipsius electionem auferre non potest, iuxta d. cap. licet de euitanda, ibi, absque ulla exceptione.

## SVMMARIVM.

- 1 Beneficiorum institutio spectat ad Episcopos, & eorum Officiales.
- 2 Declaratur text. in presenti.
- 3 Vicarij generales Episcoporum an ex vi Vicariatus possint instituere praesentatos a patronis, ostenditur.
- 4 Episcopi de iure communi fundatam habent intentionem in beneficiorum collatione.

## CAP. Ex frequentibus. III.

Alex. III.

**B**eneficia Ecclesiastica recipienda non sunt, nisi ab his, ad quos pertinent, scilicet Episcopo, vel eius Officiali, & qui contra fecerint, id est, tam illi, qui a laicis recipiunt, quam laici, qui illa conferunt, sunt excommunicandi, nec possunt absolui nisi prius satisfecerint. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabarel. Ioan. Andr. Imol. Anan. Butr. Holt. Anchar. Henric. Panorm. Viuian. in ration. lib. 3. iuris Pontif. pag. 118. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 406. remissive Casal. in annor. & Ximen. in concord. p. 1. & 2. refertur ab Anton. August. collect. 1. Decret. lib. 3. tit. 7. c. 1. est post Concil. Lateranen. part. 28. cap. 11.

In hoc text. vt ex illius litera colligitur, proponitur consuetudo, seu magis corruptela, quae in Cantuariensi Archiepiscopatu inuenerat, quod Clerici auctoritate propria sine Episcopi, vel alterius, qui de iure posset titulum conferre, beneficia occupabant, vt deducitur ex illis verbis, ibi, qui hoc de iure possunt, intelligendo non expositiue, quasi sit sensus hoc posse Vicarios, & quoscunque Episcopi Officiales, sed restrictiue ad eos, quibus specialiter concessum est, vt sit sensus abusus, quem reprobat, in eo consistere quod Clerici sine Episcopi, vel alterius, qui potestatem habeat conferendi, auctoritate propria beneficia occupabant, vt tetigit Abb. hic num. 8. & explicat Rebuff. in praxi benefic. tit. forma Vicariatus, num. 128. & ex aliis refert Conar. lib. 4. variat. cap. 10. num. 7. in princip. & post eum Sbroz. de officio Vicarij, lib. 2. q. 111. num. 10. & comprobatur ex proprietate relatiui, ad quos, quae ea esse noscitur, vt quoties ponitur sine copula, & adiciatur generi, cuius omnibus specialibus



non competit, stat restrictiue, iuxta receptam doctrinam, quam ex text. in *lea tamen adiecto*, ff. de legatis 3. atque aliis singulariter deducit Bart. in l. omnes populi, num. 1. ff. de iustit. & iure, & in l. 3. in princip. C. de summa Trinitat. receptus ex multis, de quibus Alphar. collect. 56.

3. *Vel officialium suorum.* Ex his verbis Doctores multi colligunt Vicarios generales Episcoporum ex vi Vicariatus, absque alia speciali commissione posse instituire ad presentationem patroni, sicut etiam confirmare electos, quia non liberalitatem exercere, sed magis ex necessitate facere dicuntur, ad hoc text. in presenti, expressum reputantes, ut per glof. hic & in cap. ult. verbo, non possunt, de offic. Vicarij, lib. 6. quas refert, & sequitur, ac late tuetur Sbroz. d. q. 11. a princip. & post Selu. Duaren. Lambertin. & plures alios Nicol. Garc. de benefic. p. 5. c. 8. a. n. 83. Prax. Episcop. p. 1. verbo Vicarius, §. 18. Gonzal. ad reg. 8. Concell. gloss. 9. §. 1. a. n. 78. Viuian. in praxi iurisparronar. p. 2. lib. 1. cap. 2. n. 3. Soar. de Pace in pract. tom. 2. prel. 3. num. 7. & 8. Azor. in iur. moral. p. 2. lib. 7. c. 22. q. 3. Narbon. de appellat. a Vicario ad Episcopum, p. 1. n. 18. Ego ipse de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 54. n. 70. quorum resolutio licet plures grauissimos habeat contradictores, & in primis Rebuff. d. tit. forma Vicariatus, a. n. 126. Roland. cons. 47. n. 45. vol. 2. & alios, quos refert Sbroz. d. q. 11. n. 4. in se quidem verior est, in rigore disputationis optime defenditur, & secundum eam respondisse Illustriss. Cardinal. Sacre Congregat. Concilij testantur Nicol. Garc. & Narbon. citatis locis, & Sacram Rotam secundum eum indicasse refert Card. Caualer. decis. 28. n. 5. sed ad litteram huius text. minime adaptatur, tum quia, ut ostendimus, intelligendo verba illa restrictiue, non probat conclusionem affirmatiuam, quam ex eo colligunt; tum etiam, quia non agit text. de institutione specialiter sumpta, quae scilicet fit ad patroni presentationem, sed generaliter de Clericis, qui sine titulo habito ab Episcopo, vel officialibus suis, vel alia persona, quae de iure habebat potestatem, beneficia occupabant, ac subinde si verba praedicta, quia hoc de iure possunt, starent expositiue, ut isti volunt, probat text. posse officiales Episcoporum sine speciali ipsorum consensu, seu commissione beneficia conferre, quod est directe contra text. in d. cap. ult. & contra receptam omnium scribentium sententiam, quos refero d. alleg. 54. n. 69.

4. *Sine consensu Episcopi.* Ergo in collatione beneficiorum Episcopi de iure communi fundatum habent intentionem, ut per Gonzal. ad reg. 8. Cancell. §. 1. proam. num. 21. Valer. Reginald. in praxi fori pant. lib. 30. tract. 3. n. 239.

## S V M M A R I V M.

1. Institui quis non debet ultra facultates inuitis Ecclesiae Clericis.
2. Ecclesiae admitti non debent plures, quam commodè ex redditibus nutiri possunt.
3. Inuestitura verbalis per anulum, vel biretum, vel aliud signum non transfertur possessio.

## CAP. Auctoritate. IV.

## Clem. III.

**I**Nstitui quis non potest ultra facultates inuitis Ecclesiae Clericis. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collecti. Zabari. Ioan. Andr. Imol. Anan.

Butr. Host. Anchar. Guid. Panorm. Viu. in ration. lib. 3. iuris Pontif. pag. 119. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 406. remissive Ximen. in concord. part. 1. refertur ab Anton. Auguft. collect. 2. Decret. lib. 2. tit. 2. de iudic. c. 1.

*Ultra quam facultates earum, &c.* Notatur ad hoc, quod in Ecclesia admitti non debent plures, quam commodè ex redditibus nutiri possit, ut per Valer. Reginald. in praxi fori penitentialis, lib. 30. tract. 3. num. 297. in fine, & vide tradita ad cap. 1. num. 2. sup. hoc tit.

In gloss. *Instituitur*, ibi, quod potest fieri per anulum, &c. Notatur ad hoc, quod verbali inuestitura per anulum, vel biretum, vel aliud signum non transfertur possessio, sed tantum tribuitur licentia capiendi possessionem propria auctoritate, ut per Boer. decis. 299. n. 2. Menoch. remed. 6. ad ipse. num. 34. Conar. lib. 3. cap. 15. num. 10. Tiraq. in tract. de mort. in presat. declar. 1. n. 5.

## S V M M A R I V M.

1. Instituti in Ecclesiis non debent esse vnus nationis tantum, sed vndeunque existant, dummodo idonei sint.
2. Literati in Ecclesia sunt praeficiendi.
3. Idonei eliguntur ad beneficia ex quocumque loco, & natione, si in Regno, de eadem natione, & lingua tales non inueniantur.
4. Statuta, & consuetudines quod beneficia oriundis conferantur, & non aliis, an valida censi debeant, remissive.

## CAP. Cum decorem. V.

## Innoc. III.

**Q**ui in Ecclesiis sunt instituendi, non debent esse vnus nationis tantum, sed vndeunque veniant, dummodo idonei existant, eligendi sunt. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collecti. Zabarel. Ioan. Andr. Imol. Anan. Butr. Host. Anchar. Henric. Panorm. Cenc. collect. 56. Viuian. in ration. lib. 3. iuris Pontif. pag. 119. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 406. remissive Casal. in annot. & Ximen. in concord. p. 1. & 2. refertur ab Ant. Auguft. collect. 3. Decret. lib. 3. tit. 7. c. 1.

*Viros literatos.* O Deus bone! quot repetitis vicibus commendatum in iure reperitur, ut praeficiendi in Ecclesia sint literati, de qua re plura tradunt Dec. in cap. cum in cunctis, ex n. 12. de elect. & in cap. prudentiam, ex num. 2. de offic. deleg. Conrad. in templo omnium indic. lib. 2. c. 1. §. 4. ex n. 1. fol. 135. Felin. cons. 10. num. 4. Caslan. in catal. gloria mundi, p. 1. ex princip. Hojed. de incompatib. benef. p. 1. c. 24. ex n. 28. Gig. consil. 3. ex n. 15. & consil. 144. ex n. 1. Roland. consil. 47. ex n. 75. vol. 1. Rebuff. in concord. tit. de collat. in gloss. viros literatis, & in cap. posulatis, ex n. 33. de cleric. excomm. ministr. Lambertin. de iure patron. lib. 2. p. 3. q. 5. art. 11. ex n. 5. in fine. Fusc. de visit. lib. 2. c. 28. n. 4. Marfil. de Columna de Ecclesia redditib. p. 1. c. 19. in princip. & vide quae late dixi ad c. de multa, de praebend. ex n. 16. & ad cap. graue nimis, eod. tit. n. 4.

*Vndeunque originem duxerit.* Notatur ad hoc, quod ex quocumque loco & natione idonei ad beneficia eligendi sunt, ut per Camil. Borrell. in summa omnium decis. tit. 6. num. 3. Non est enim de iure attendenda quantum ad collationem, & prouisionem benef.



beneficiorum exceptio personarum. Rot. decis. 24. n. 2. apud Farin. in collect. nonnullas part. 4. divers. Mallob. in praxi habendi concursus. prel. 7. dub. 2. n. 37. secundum Romanam impress. Vtrum autem valida censeri debeant statuta, vel consuetudines quod beneficia ordinis conferantur, & non aliis, vide Rebuff. in praxi benefic. p. 3. tit. de rescriptis mixtis, in princip. à num. 6. & gloss. 1. & 2. & in tract. nominat. quest. 9. n. 48. post med. Andr. Gambard. de offic. & potest. legati de latere, lib. 3. ex n. 537. & lib. 6. ex n. 379. Mandos. reg. 16. q. 39. & conf. 27. ex num. 19. & conf. 55. a princ. Roland. conf. 47. ex num. 67. vol. 1. Ludou. Gom. reg. 19. Cancell. Arnulph. Rufa. in tract. de iur. regal. priuileg. 29. num. 7. Carol. de Grass. lib. 2. iure 8. Sela. de benefic. part. 2. quest. 23. ex num. 34. & p. 5. quest. 28. ex n. 1. Hojeda de incompatib. benefic. p. 1. c. 23. ex num. 84. & cap. 24. ex num. 43. & ex num. 86. Hieron. Portoles in schol. ad Molin. alienigena. ex num. 5. Salzed. in pract. cap. 56. in nouiss. edit. Burg. de Pace 1. 3. Tauri. n. 374. Azueved. ad Curiam Pisani. lib. 1. c. 12. ex num. 8. & lib. 1. 4. ex num. 1. tit. 3. lib. 1. noua recap. Segura Daualos in direct. iudicium Eccles. part. 1. cap. 9. Rot. in Placentina admissio. nis ad Capitulum 8. Aprilis 1585. coram Card. Blanchetto, & in Seguntina admissio. nis ad Capitulum 26. Iunii 1587. coram bonae mem. Gyptio, & in eadem 7. Iunii 1610. coram Patriarcha Manzanedo, in Tolerana confraternitatum 3. Decembris 1618. coram Vbaldo, in quibus decisionibus fuit dictum statutum prohibens Clericos forenses admitti ad Capitulum tanquam illicitum, ambitiosum, & contra ius non tenere, Azueved. ad Curiam Pisani. lib. 1. c. 12. à num. 8. & 1. 14. à n. 1. tit. 3. lib. 1. noua recap. Spin. in speculo testam. gl. 3. princ. à num. 32. Salzed. ad Bernard. in pract. cap. 54. Cur. Philip. part. 2. lib. 1. cap. 1. num. 37. Gutier. canon. lib. 2. cap. 1. 1. à num. 29. Perez 1. 18. verbo que nunguam estrangero. tit. 3. lib. 1. Ordin. Anton. Oliban. in comment. ad v. saticum, alium nanque de iure fisci, cap. 13. num. 53. cum segg. vbi de Aragonensibus, Ferrer. in constit. Catalaun. glof. 2. n. 62. vbi de Catalaunis, Cabel. de patronatibus Regia Corona, c. 29. vbi de Lusitanis, Petr. Greg. synagm. iuris lib. 17. cap. 6. n. 41. & 42. vbi de Britannis, & Ungaris, Petr. Ludon. Martinez in allegat. Viceregis extranei. n. 258. cum segg. Cened. ad Decret. collect. 56. num. 7. Azor. instit. moral. p. 2. lib. 6. cap. 4. q. 2. 5. vers. deinde, Cened. pract. & canonicarum quest. lib. 1. quest. 28. a princ. vbi num. 18. resoluit extraneum à Regno posse in eo creati Vicarium Episcopi. In quibus Regnis exteri ex Summorum Pont. indultis beneficia obtinere non possunt, dixi ad c. bone, il. 2. de poss. Prel.

## S V M M A R I V M.

- 1 Ecclesias in possessione instituendi, vel conservandi etiam contra ius commune, pendente lite de proprietate manentur in possessione.
- 2 Verbum, spectat, non solum possessionem, sed etiam dominium significat.
- 3 Institutio & destitutio beneficiorum de iure communi pertinet ad Episcopum in sua diocesi.
- 4 Domini exceptio opponi potest agenti possessorio, si illam probare possit incontinenti.
- 5 Promissio facta per verba generalia, & adulatoria, non inducit obligationem aliquam.
- 6 Sententia super possessorio lata dicitur interlocutoria.
- 7 Possessio contra ius innata vera presumptione alicuius tituli, sufficit ad repellendum proprietarium illius iuris.

- 8 Restitutionem petenti an, & quando obstat spontanea abiuratio, remissum.
- 9 Obligatio presumitur personalis, & non realis.
- 10 Priuilegiu verba si referantur ad personam, censetur priuilegium personale, si autem referantur ad rem, censetur reale.

## CAP. CUM VENISSENT. VI.

Existens in possessione instituendi, vel conservandi Ecclesias etiam contra ius commune, pendente lite de proprietate manentur in possessione. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabari. Ioan. Andr. Imol. Anan Host. Henric. Anchor. Panor. Guid. Papae. Viu. in ration. lib. 3. iuris Pontificij, pag. 66. Alagona in compend. iuris Canonici, pag. 407. remissum Casal. in annot. & Ximen. in concord. p. 1. & 2. refertur ab Ant. August. collect. 3. Decret. lib. 3. tit. 7. c. 3. Spectat. Hoc verbum non solum possessionem, sed etiam dominium significat, ut per Menoch. conf. 21. num. 4.

Tam de iure communi. Notatur ad hoc quod de iure communi institutio, & destitutio beneficiorum suae dioceseos pertinet ad Episcopum, ut per Valer. Reginald. in praxi forensi penitent. lib. 30. tract. 3. n. 239. & plures alios, quos refero ego ipse de officio, & potest. Episcopi p. 3. alleg. 72. n. 176.

Inter alia vero, &c. Notatur ad hoc quod exceptio domini opponi potest agenti possessorio, si illam probare possit incontinenti, ut per Malcard. de probat. concl. 987.

Faceret quod sibi placeret. Notatur ad hoc quod promissio facta per verba generalia, & adulatoria non inducit obligationem aliquam, ut per Viu. tom. 2. commun. opin. lib. 8. tit. 22. n. 42. p. 362. Cald. Pereira de nominat. emphyt. q. 1. n. 39. Ioseph. de Sesse Aragon. decis. 182. n. 13.

Nos interloquuti fuimus. &c. Ergo sententia super possessorio lata dicitur interlocutoria, de quo vide Menoch. remed. ultim. rerum. num. 46. & 47. Conarr. pract. c. 17. Valasc. conf. 79. n. 17. Bernard. Gran. ad practicum Camera Imper. lib. 1. concl. 7. confid. 1. num. 1.

Donec probatum legitime, &c. Notatur ad hoc quod possessio contra ius innata vera presumptione alicuius tituli, licet clare non constet de qualitate tituli, sufficit ad repellendum proprietarium illius iuris, nisi clare probet defectum tituli praesumpti, ut per Abb. in presenti, quem refert Gutier. pract. lib. 3. q. 19. num. 8.

Archidiaconum abiurasse, &c. An & quando restitutionem petenti obstat spontanea abiuratio, & de conciliatione huius text. cum c. accepta, de restit. spont. vide ibi Nauar. opposit. 2. vbi novem refert concordias, & literalem calum huius text. pro eius elucidatione ponit Gutier. d. q. 19. n. 31.

Si concessio illa fuerit realis. Notatur ad hoc quod Obligatio presumitur personalis, & non realis, ut per Malcard. de probat. concl. 1121. per totam.

In gloss. Fuisse ibi, immo si persona facta fuit, praesumi debet personalis, si dignitati realis. Notatur ad hoc, quod si verba priuilegij referantur ad personam, censetur priuilegium personale: si autem referantur ad rem, censetur reale, ut per D. Barbof. in l. quia tale, n. 2. ff. soluto matrim. & num. 42. resoluit quod priuilegium concessum dignitati censetur reale, & perpetuo durat, propterea & dignitas perpetuo durare dicitur.

In gloss. Abiurasse, ibi, factum Prelati non praesumitur



# 80 Collectanea Doct. in lib. III. Decretal.

aitat Ecclesia. De hoc vide latè per Ioan. Bapt. Cost. de facti scient. & ignorant. in spec. 39. per tot. vbi multipliciter ampliatur & limitatur.

## S V M M A R I V M.

- 1 Collatio dignitatum si spectauerit ad unum, non potest seipsum instituere.
- 2 Dans & recipiens differunt inter se.
- 3 Conferendi dignitatem habens potestatem, si illam alij dederit, an possit ab illo dignitatem recipere ostenditur.
- 4 Procurator constituitur à patrono non potest ipsam patronum presentare.

## CAP. Cùm ad nostram. XII. & ult.

**P**relatus quando quis efficitur, non potest retinere dignitatem, quam prius habebat, quia illa vacat ipso iure; nec vacantem aliquam sibi potest conferre, quia inter dantem, & recipientem debet esse distinctio personalis, nec potest illam recipere ab alio, quia alius non habet ius conferendi. Colligunt ex Ordin. Abb. antiq. Innoc. Collect. Zabari. Bellam. Ioan. Andr. Imol. Anan. Host. Butr. Anchar. Henric. Panorm. Guid. Papæ. Viu. in rationali lib. 3. iuris Pontif. pag. 120. Alagona in compend. iuris Canon. pag. 407. remissive Casal. in annot. Ximen. in concord. part. 1. & 2. refertur ab Anton. August. collect. 3. Decret. lib. 3. tit. 7. c. 4.

**Cùm inter dantem & recipientem, &c.]** Notatur ad hoc, quod differunt inter se dans, & recipiens, sicut eligens, & electus; instituens & institutus; vendens, & emens; locans; & conducentis; imperans, & subditus; restituens & restitutus, ut per Flamin. de resign. benef. lib. 9. q. 17. n. 109. Bellet. de iur. cleric. p. 1. tit. de bonis Clericorum, §. 11. n. 23. & Doctores à me citatos de offic. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 85.

**Recipere non potuit à se ipso.]** Collige ex text. non posse instituentem seipsum in beneficio Ecclesiastico instituere, ita gloss. verbo recipientem, Innoc. Abb. num. 1. & 4. & alij DD. in presenti, idem Abb. num. 1. in cap. per nostras, de iure patron. DD. communiter in cap. cum in iure peritus, de elect. Roch. de iure patron. verbo honorificum, num. 20. Paulus de Scitad. eod. tract. part. 6. quest. 48. art. 5. Lambert. lib. 2. part. 1. q. 8. art. 2. Dec. cons. 151. n. 10. Socin. cons. 11. vol. 1. Mant. dial. 34. Amplia text. hunc procedere etiam in procuratore, qui quidem virtute mandati constituentem non potest instituere in beneficio in quo ipse constituens habet potestatem instituendi, siquidem per ipsum procuratorem constituens censetur seipsum instituere, ex reg. text. in cap. mulieres, §. illi, de sententia excom. reg. qui per alium, lib. 6. unde cum constituens seipsum instituere non possit, utique nec per alium, nempe procuratorem, id poterit efficere, qui non aliter constitui potest quam post vacationem Ecclesiæ, propter text. in c. ult. de concess. preb. qua data vacatione maxima fraus resultat respectu constituentis per constitutionem procuratoris. Accedit, quia procurator non aliter potest in beneficio instituere quam nomine ipsius constituentis, cuius personam in tali institutione representat, fatetur Lambert. lib. 2. part. 1. q. 8. art. 9. num. 3. quo dato necessario videtur dicendum constituentem seipsum in effectu instituere, contra text. in presenti, & reg. text. in d. cap. per nostras, cuius ratio ambitionis etiam, & maxime in institutione verificatur, & ita in specie hanc sententiam tenent Abb. n. 6. Ioan. Andr. & alij in presenti, Zabarel. in

cap. ex infirmatione, de iure patron. Paulin. de potestate Capituli Sede vacante, p. 2. q. 5. in fin. Roch. verbo ipse, vel is, quest. 26. Lambert. d. art. 9. quamvis contrarium teneat Gloss. verbo recipientem, ad fin. hic, existimans procuratorem posse instituere dominum, cuius sententia poterit procedere, quando dominus constituens legitime transfert in alium omnimodam, & absolutam potestatem instituendi, vel presentandi, ita ut alius suo proprio iure instituere, vel presentare dicatur, pro ut in effectu illam explicat Abb. d. n. 6. Lambert. d. q. 8. art. 1. & dixi in collect. ad illam gloss. quod quidem est faciendum interueniente iusta causa concedendi, seu transferendi tali modo, ne aliis fraus presumatur, pro ut in specie aduertit Lambert. d. art. 9. num. 4. & d. art. 11. & num. 2. Nec supradictæ opinioni refragatur quod Romanus Pontif. Confessarium constituit, & quotidie absoluitur ab illo, cui se subiicit, tradit gloss. singularis in cap. sanè, il. 2. de... Couar. in cap. alma, part. 1. §. 1. num. 5. Nauar. in cap. 1. in princip. num. 20. & in cap. placuit, num. 9. de penit. dist. 6. Caltr. lib. 2. de iusta bare. punit. c. 23. Resp. enim text. Abb. d. num. 6. & latè Nauar. d. cap. placuit, à num. 15.

**In gloss. Dantem, ibi, sed quid si ipse conferret alij potestatem conferendi illam dignitatem, nunquid possit ab illo illam recipere, ut sic non videretur eam recipere à se ipso, &c.]** In hac quest. gloss. in presenti, arguit pro vtriusque parte, primò pro negatiua, deinde pro affirmatiua, in eo tamen omnes conveniunt ut forma translationis attendenda sit, ut si is, qui ius conferendi habebat, in totum à se hanc facultatem in alium abdicavit donando illi, ita ut is, qui liberalitatem recepit, debeat suo nomine conferre non nomine eius, qui in eum hanc facultatem transtulit, & nunc poterit ab illo eligi, quia ille tunc eligit suo proprio nomine, non uti minister, vel procurator alterius, & sic valida erit donatio facta donatori: si verò ius conferendi sit in altum translatum, ut in compromissarium, vel ut in procuratorem, & tunc ille non poterit eligere, vel presentare, vel illi conferre, cum enim ille ipsius vicem gerat, idque agere debeat nomine ipsius, cuius est compromissarius, vel procurator, quemadmodum ipse sibi conferre non posset, ita nec hoc ei licebit per ministrum suum, hanc distinctionem approbant omnes in presenti, Ioan. Andr. num. 4. Butr. num. 8. vers. quaro, cum eadem gloss. Anchar. col. ultim. num. 6. vers. querit gloss. Zabarel. num. 7. vers. tertio quaro, Panormitan. num. 6. vers. & in fine, Imola num. 5. vers. in eadem gloss. Anania num. 10. vers. item nota quod quis, Guid. Papæ num. 3. vers. quaretur ponamus. Unde iam colliges procuratorem constitutum à patrono non posse ipsum patronum presentare, ut per Flamin. d. quest. 17. n. 113. Campanil. in diuersorio iuris Canonici, rubr. 11. cap. 13. num. 399. quos refero ego ipse d. alleg. 72. num. 87. vbi num. 89. cum Lambertin. & Viuian. resoluo nec etiam substitutum à tali procuratore posse patronum, aut suum principalem procuratorem presentare, & num. segg. alia inueniuntur in proposito non contemnenda.

\* \*